



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 6. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

& commodum temporale jus affert ad petendam, & conferendam rem ex se licitam, licet alter ex sua malitia peccaturus praesumatur, quando melius afferret tale jus necessitas, & commodum spirituale?

## S E C T I O VI.

## Solvuntur Opposita.

365. **O**bjicies 1. contra primam assertionem. In dubio cujuslibet legis semper debemus intelligere id, quod est minus obligatorium; sed ex vi hujus damnationis dubium est, an comprehendatur, nec ne simulatio materialis; ergo non comprehenditur. Min. & consequentia videntur certa: maj. constat ex Cap. in obscuris, de reg. Juris in 6. in obscuris, quod minus est, sequimur: de Verb. Obligat. quid quid adstringende obligationis causa dictum est, id, nisi palam exprimat, omissum esse censendum est; tum etiam Ca. contra eum, de regulis Juris in 6. contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda est interpretatio; ergo. Respondeo permilla maj. nego min. quia in nostro casu non apparet prudens dubium, ne comprehendatur simulatio materialis, cum comprehendatur simulatio, quae talis est juxta communem modum loquendi, & quae affert irreverentiam, quod absque dubio simulationi materiali competit, ut constat ex dictis à num. 348. Dixi permilla maj. quae in nostro casu falsa est: testimonia enim ab Adversariis adducta loquuntur de legis interpretatione, quae est odiosa; ista autem prohibitio non debet interpretari ut odiosa, sed ut favorabilis, ut constat ex dictis à num. 307. & 327.

366. **O**bjicies 2. In his damnationibus standum est pro verborum proprietate; sed juxta verborum proprietatem non significatur simulatio materialis, sed solum formalis; ergo ex vi hujus damnationis non condemnatur simulatio materialis, sed sola formalis. Confirmatur. Finis hujus damnationis est vitare, ne fiat dolus in administratione Sacramentorum; atqui simulatio materialis, in qua propter opinionem contingit deceptio passiva, non est dolus; ergo sub hac damnatione non comprehenditur simulatio materialis. Respondeo dist. maj. pro verborum proprietate ut exponibili prohibito suo ab aliquo privato Doctore, nego, ut exponibili juxta communem modum loquendi, con. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia nomine simulationis juxta communem modum loquendi non solum venit simulatio formalis, sed etiam materialis, ut constat ex num. 352. Ad confirmationem dist. maj. ne fiat dolus ratione solius intentionis decipiendi, nego, ex nulla circumstantia prohibita, quae secum afferret irreverentiam, aut illusionem DEI, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam; quia per simulationem materialem affertur hujusmo-

di dolus ex circumstantia prohibita, ut constat à num. 348.

Objicies 3. Si fiat conventio inter Sacerdotem, & peccatorem in casu necessitatis, non est illicitum ministrare peccatori hostiam non consecratam pro consecrata; ergo damnatio non extenditur ad istum casum. Probatur antec. talis hostia ministrari potest, nullo alio adstante, propter Sacerdotem, & suscipiendum, ac proinde quin supponatur ignorantiam sed quando non supponitur ignorantia, neque est illicitum, neque ulla intervenit simulatio ergo. Resp. N. antec. ad prob. dist. maj. nullo alio adstante, quando confertur non consecrata absque ulla simulatione, con. quando confertur non consecrata pro consecrata, nego maj. & dist. min. nego conseq. quia in illa conventionem, si nullus alius adesset, ad summum daretur ludus, non autem daretur hostia non consecrata pro consecrata: hoc autem supponit ignorantiam saltem adstantium, qui judicarent hostiam illam consecratam esse, quamvis Sacerdos, & suscipiens scirent non esse consecratam, quo in casu adesset propria simulatio administrationis Sacramenti, ideoque esset illicita. Neque in illis circumstantiis excusari possent à peccato, cum ipsa susceptio communionis, quantumcunque ficta, esset cultus externus rei non Sacrae. Sic non excusarentur à peccato, qui exhiberet cultum externum coram idolo, etiamsi ejus affectus internus ferretur in Christum Dominum, ut optime praeceperat Eximius Doct. tom. 3. in 3. part. disp. 67. fess. 4. ex quo praecipue manent inlicita, quas ex doctrina P. Valquez adducere tentarent Adversarii.

Objicies 4. Damnatio hujus propositionis neque formaliter, neque virtualiter extendit ad merum, v. g. mortis urgentissimum, quia confectio Eucharistiae aut altissimi Sacramenti ministratio simularetur; ergo ex vi hujus damnationis non esset illicitum conficere, aut ministrare simulatè in eo casu Sacramentum. Probatur antec. damnatio hujus propositionis non est universalis comprehendens omnem merum, sed particularis aequivalens huic: *aliquis metusurgens gravis non est iusta causa Sacramentorum administrationi simulandi*; sed ex eo, quod non sit universalis, non comprehendit merum saltem urgentissimum; ergo. Probatur maj. propositio damnata, utpote indefinita est universalis aequivalens isti: *omnis metusurgens gravis est iusta causa administrationis Sacramentorum simulandi*; Sed damnatio contradictoria propositioni damnata, est propositio particularis aequivalens huic: *aliquis metusurgens &c.* ergo damnatio hujus propositionis non est universalis, sed particularis.

Confirmatur; à particulari non valet argumentum ad singularem, neque à propositione indeterminata ad determinatam; ergo non valet ista argumentatio: *aliquis metusurgens gravis*

*gravis non est iusta causa Sacramentorum administrationem simulandi; ergo metus mortis urgentissimus non est iusta causa; atqui nos eo modo arguimus, ut extendamus damnationem ad omnem metum; ergo male à nobis extenditur ad omnem metum. Hoc argumentum si bene expendatur, doctrinam tangit, ex quo convincetur, vel damnationem esse universalem, vel ex vi illius nullam damnari propositionem determinatam, quod licet fatiri renuant Adversarii, facile ostenditur ex ipso eorum discursu quacunquæ assignata determinata propositione; nam ex propositione indeterminata non valet argumentum ad determinatam; Sed per vos damnatio est indeterminata; ergo non valet reduci ad ullam propositionem determinatam. Cæterum ut procedamus in forma,*

370. Resp. N. antec. ad probat. nego maj. ad prob. permitto maj. juxta dicta num. 351. & dist. min. damnatio contradictoria est propositioni damnatæ universaliter solum sumptæ, nego; sive universaliter, sive particulariter acceptæ, con. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia cum propositionis istius damnatio comprehendat ea omnia, in quibus damnationis motivum reperitur, nimirum irreverentia Sacramenti, & illusio DEI, & motivum istud non tantum reperitur in ea propositione universaliter sumpta, sed etiam particulariter accepta, ex quacunquæ causa accipiatur, ut constat ex num. 350. capropter manet damnata ea propositio, quatenus damnatur quæcunque particularis sub ea comprehensa: idèoque manet damnata ista: *aliquis metus argens gravis est iusta causa Sacramentorum administrationem simulandi.* Unde damnatio est illi contradictoria, & habet sensum universalem, nimirum: *nullus metus argens gravis est iusta causa &c.*

371. Sic per definitiones Florentini citati num. 4. & Tridentini citati num. 16. in quibus definitur, omnia Sacramenta novæ legis causare gratiam damnatur ista universalis, nulla causant, contra hæreticos dicentes, nulla novæ legis Sacramenta gratiam causant, & damnatio est contradictoria illi hæreticorum universali propositioni, quatenus ex vi damnationis manet falsa ista propositio: *aliquod novæ legis Sacramentum non causat gratiam*, ac proinde contradictoriè opponitur cum illa: *omnia causant &c.* id ipsum, ut ex dictis constat, evenit in nostro casu ex vi damnationis, quo in sensu damnatio est contradictoria propositioni damnatæ. Hoc dixerim permittendo propositionem damnatam esse universalem, ut videant, quam debile sit argumentum, in quo fidunt, licet enim damnatio universalis sit, ut constat, propositio damnata nunquam prolata fuit ut universalis à suis auctoribus, neque ab ullo Catholico, cum omnes fateantur, simulationem illicitam esse in pluribus casibus, nimirum quando fieret in contemptum

Sacramenti, aut religionis; quando periclitaretur Spiritualis vita proximi, v. g. infantis moribundi baptizandi, & sic de aliis. Hinc ad confirmationem concessio primo enthymemate nego min. subsumptam, nam nos non arguimus, ut fingunt Adversarii, sed ex universali vera negativa inferimus falsitatem cujusvis particularis affirmativæ, quæ argumentatio in forma concludit.

Objicies 5. Opinio docens metum urgentissimum, v. g. mortis, esse causam sufficientem ad simulandam administrationem Sacramentorum, est saltem tenuiter probabilis, cum illam defendant plures auctores, quos citant & sequuntur Ludovicus de S. Joanne tom. 1. Summ. quæst. 7. de Euchar. art. 8. disp. 7. & Joannes Sancius in Selectis disp. 75. sed in urgentissima necessitate licitum est uti tali opinione tenuiter probabili. Resp. N. maj. quia licet ista opinio ante has Pontificias damnationes censeri posset tenuiter probabilis: ac verò post hujusmodi damnationes jam non potest censeri probabilis, cum nulla causa, quantumvis urgentissimæ necessitatis, reddat licitam illusionem DEI, quæ reperitur in simulatione Sacramentorum, ex quacunquæ causa proveniat, ut constat à num. 348. & 350. ac proinde nulla est necessitas, quæ afferat jus ad talem simulationem. Quin imò simulatio ex quacunquæ necessitate proveniat, comprehenditur sub nomine simulationis secundum significationem propriam, quam simulatio habet apud homines. Cum autem hoc prohibeatur ex vi præsentis damnationis, ut constat ex num. 352. exinde manet damnata simulatio, ex quacunquæ causa proveniat.

Objicies 6. Sæpè evenire potest casus, in quo Sacerdos teneatur simulare Sacramentum penitentia; ergo ista damnatio non se extendit ad omnia Sacramenta. Probatur antec. sæpè contingit, hominem confiteri peccata sua in magno penitentium concursu, qui circumstant, simulque confessarium agnoscere, talem hominem nolle deserere occasionem proximam peccandi, vel non habere propositum de cæteris non peccandi; atqui in tali casu, ne confessarius frangat sigillum, tenetur simulare absolutionem, & administrationem Sacramenti; ergo, Confirmatur. Secretum confessionis jure divino injunctum, servandum est non solum verbis, sed etiam factis, ut observavit Eximius Doctor tom. 4. in 3. parte disp. 33. sect. 6. ut constat ex cap. *omnis utriusque sexus*, de Penitentia, & remissionibus, ubi dicitur Sacerdoti: *caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem*; Sed modus non prodendi est simulare absolutionem, & administrationem Sacramenti penitentia; ergo &c. Resp. N. antec. ad prob. con. maj. N. min. quia in illo casu absque simulatione Sacramenti debet Sacerdos ex jure, & obligatione, quam habet;

habet, uti aliis verbis, ex dictis num. 360. quæ verba ex eo jure, & obligatione prolata non sunt simulatio Sacramenti, sed fictio manifestationis æquivocæ, quæ tunc non est illicita, ut constat ex num. 343. Hinc ad confirmationem con. maj. nego min. nam ut constat ex dictis, dantur plures modi non prodendi peccatorem absque simulatione Sacramenti.

374.

Objicies 7. Minister Sacramenti matrimonii habet plerumque jus ad simulandam administrationem illius Sacramenti; ergo. Prob. antec. exponendo casum, qui non semel contigit: Titius v. g. contraxit sponsalia cum Bertha, & postea ex humana fragilitate cognoscit carnaliter sororem ejus, unde contraxit impedimentum dirimens, per quod ineptus manet ad celebrandum matrimonium cum Bertha; illud autem impedimentum est omnino occultum, nec Titius, qui nimis pauper, habet modum ad perendam Romæ dispensationem impedimenti, & quamvis plurimi Auctores dicant, in casu magnæ necessitatis posse Episcopum dispensare ante contractum matrimonium, quando non datur aditus ad Pontificem, multi tamen Episcopi nolunt sic dispensare; & supponimus, Diocesanum Titii ejus esse dictaminis: tunc Titius propter illud occultum impedimentum desistere vult ab eo matrimonio, sed Bertha accedit ad tribunal Ecclesiasticum, ut Titius cogatur implere promissionem sponsalium, & qui admonitus à Judice Ecclesiastico non vult implere promissionem nuptiarum, incarceratur, excommunicatur, & denunciatur; quo fit, ut si persistat in ea apparente contumacia, magnum imminet periculum animæ illius: nam dum vixerit Bertha, Titius persistet incarceratus, & excommunicatus, & forte per totam vitam privabitur auditione Sacri, & receptione Sacramentorum; imò in articulo mortis utpote in foro exteriori contumax, privabitur Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura, ex quibus omnibus maximum animæ ejus periculum immineret. Modò sic: in eo casu non superest Titio aliud medium, ut extrahatur à carcere, & consular animæ suæ, sicque fugiat, & per absentiam se liberet à crimine, ducendo uxorem cum impedimento dirimente, nisi medium simulandi matrimonium; ergo in eo casu licitum est illi simulare administrationem Sacramenti matrimonii.

375.

Respondeo nego antec. ad probationem admisso casu, nego etiam antec. quia tunc Titius, ut tot, & tanta pericula corporis, & animæ vitaret, & fugeret, poterat sub secreto naturali, & etiam, si opus esset, sub juramento Diocesanano suo impedimentum manifestare, quòd Diocesanus occasionem fortassè daret illi fugiendi: si autem ita ponatur casus, ut post tentatum istud, & alia media licita sibi, nulla fides Titio adhiberetur, sicque in eodem periculo constitutus maneret, non exinde posset simulare ad-

ministrationem Sacramenti matrimonii, cum adhuc superesset illi medium adhibendi manifestationem æquivocam contractus humani; quæ quidem æquivoca manifestatio tunc illicita esset ex dictis à num. 345. In eo enim casu, cum ex jure Ecclesiæ contractus esset nullus, non esset materia, neque forma Sacramenti matrimonii, cum talis non sit contractus nullus, neque adhibita ulla intentione Titii possit contractus contineri sub significatione institutionis Christi Domini; cum ergo in illo tale jus, perperam supponitur, diciturque illud superesse medium simulandi administrationem Sacramenti.

Neque tenet paritas ad alia Sacramenta, ut dixi num. 346. nam Christus instituens contractum humanum in Sacramentum, reliquit contrahentibus jus, quod habent ad elicendum contractum humanum: cum autem contrahentes in simili casu habeant jus ad adhibendam manifestationem contractus æquivocam: ut de causa possunt in simili casu contrahentes uti manifestatione æquivoca ferentes intentionem in ordine ad contractum, at neutquam in ordine ad Sacramentum; quæ quidem ratio nullatenus militat respectu aliorum Sacramentorum. Propter eandem rationem contrahentes habent jus ad administrandum Sacramentum matrimonii per Procuratorem, ut dixi in 187. quin cæteri Ministri Sacramentorum ut habeant ad administranda Sacramenta per Procuratorem. Sic etiam contrahentes sunt similes Ministri, & suscipientes; at in reliquis Sacramentis non potest Minister sibi nec ipsi Sacramentum ministrare.

Præterea notandum est, non ex eo præcipue dari verum matrimonium Sacramentum, quia datur verus contractus, ut patet inter Gentiles, & Ethnicos; inter quos juxta meliorem Theologiam datur verus matrimonii contractus, ut notavi num. 345. & non datur matrimonii Sacramentum: inter Fideles autem nunquam datur verus contractus matrimonii, quin datur verum matrimonii Sacramentum; cum ex illi prænotatis talis verus contractus cadat sub significationem institutionis Christi Domini. Cæterum, cum Christus Dominus Fidelibus reliquerit facultatem, quam in se habent contrahentes in ordine ad contractum, ut possint illum rectum efficere, vel ut possint adhibere æquivocam manifestationem, quando ipsi habent ad illam adhibendam: exinde possunt in illo casu feliciter gerere, non quidem miranda materiam Sacramenti à Christo institutam, sed nolendo eam apponere, quando apponere non tenentur; ex quo neque ferunt in Sacramentum matrimonii, neque datur ulla propria simulatio Sacramenti: cum jus ad hæc omnia secum ferat naturæ contractus, secus autem materia, & forma cujusvis alterius Sacramenti.